

§. II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonice.

- 101 **D**ico I. Jurisprudentiæ Canonice objectum materiale sunt actiones humanæ aliquatenus spirituales. *Gibalinus Scientia Canon. lib. 1. cap. 2. q. 1. per tot. & lib. 5. q. 2.*
- 102 **R**atio est: quia in Jure Canonico nihil aliud præcipitur aut prohibetur, nisi quod deservit ad finem supernaturalem, ut nempe vel eundem actibus imperatis assequamur, vel impedimenta, quò minus assequi possimus, removeamus: consequenter, actus sic imperati vel prohibiti, ut proportionem habeant cum fine, debent aliqua ratione spirituales & supernaturales esse. *Confirmatur. Justitia Christiana & supernaturalis non potest introduci in actiones alias quam Christianas, & sub modo supernaturales. Ergo actiones humanæ, prout dirigibiles ad eandem justitiam, supernaturalitatem quandam habeant, necessum est.*
- 104 **N**eque dicas: in Jure Canonico permulta tractari, quæ spiritualia non sunt, v. g. testamenta, contractus, judicia &c. Nam etiam, quæ profana videntur, non tractantur aliter à Jure sacro, quam sub respectu & relatione ad finem spiritualem, quatenus temporalia debemus ita curare, ut aeterna non amittamus.
- 105 **D**ico II. Jurisprudentiæ Canonice objectum formale est justitia Christiana universalis, seu conformitas actionum humanarum cum Legibus & regulis Ecclesiasticis. *Ratio est: quia Jurisprudentia Canonica per SS. Canones, Leges, & regulas Ecclesiasticas hoc unice querit, ut actiones hominum Christianorum illis conformentur, & præmiis supernaturalis reddantur capaces. Quare justitia Christiana universalis rectè vocatur objectum formale Jurisprudentiæ Canonice.*
- 107 **D**ico III. Jurisprudentiæ Canonice objectum adæquatum & totale est actio justa Christiana seu spiritualis. *Ratio est: quia in hoc, ut actio fiat justa, non quomodocunque, sed modo Christianò & spirituali, tota Jurisprudentiæ Canonice sollicitudo desudat.*
- 108 **S**i opineris: hoc ipsum objectum totaliter attingi à Theologia Morali. Non erras. *Notare tamen oportet, illud objectum attingi sub alia ratione à Theologia Morali; sub alia à Jurisprudentia Canonica. Illud quidem actionem humanam contemplantur, quatenus præcisè conducit ad salutem hominis Christiani. Hæc eandem actionem dirigit, prout ordinatur ad salutem totius Ecclesiæ, quatenus est corpus quoddam mysticum, in unitate Sacramentorum & fidei sub uno Capite, Summo Pontifice, congregatum.*

§. III.

De Objecto Jurisprudentiæ Civilis.

- 110 **D**ico I. Objectum Jurisprudentiæ Civilis sunt actiones hominum, ad felicitatem politicam accommodatæ. *Ratio est: quia similes actiones sunt media ad consequendum objectum formale & finem Jurisprudentiæ Civilis.*
- 111 **D**ices I. objectum materiale esse res Divinas & humanas juxta l. *justitia* 10. §. 1. ff. de *J. & F.* ubi Jurisprudentia Civilis describitur, quòd sit *rerum Divinarum atque humanarum notitia.*
- 112 **R.** res Divinas & humanas esse objectum Jurisprudentiæ remotum, non proximum; proximum verò censerè actiones, quæ plerumque circa res humanas & subinde Divinas versantur.
- 113 **D**ices II. objectum materiale proximum non tantum esse actiones sed etiam personas & res juxta §. ult. *Inst. de F. N. G. & C. & l. omne Jus* 1. ff. de *Stat. hom.* ibi: *omne Jus, quòd videtur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.*
- 114 **R.** in citatis locis non agi de actionibus, rebus, & personis, quatenus sunt objectum Jurisprudentiæ Civilis, sed quatenus reputantur summa illius capita vel partes, ad quæ omnia cætera, de quibus agitur in Jure Civili, possunt reduci. *Nempe, ut scribit D. 115 Braun de Jurisprud. in gen. & spec. cap. 1. §. 4. num. ult. Persona sunt, quæ exercent actiones humanas; Res, circa quas exercentur; Actiones, per quas exercentur justitia obtinetur, & conservatur.*
- 116 **D**ico II. Objectum formale Jurisprudentiæ Civilis est justitia politica, seu conformitas actionum politicarum cum LL. Civilibus. *Ratio est: quia per Jurisprudentiam Civilem intenditur conformitas actionum politicarum cum LL. Civilibus: sicque talis conformitas seu justitia politica est finis & objectum Jurisprudentiæ Civilis.*
- 117 **D**ico III. Objectum adæquatum & totale Jurisprudentiæ Civilis est actio politicè justa seu actio politica, Legibus Civilibus commensurata. *Ratio est: quia, quidquid in Jure Civili traditur, in actione, Legibus Civilibus commensurata, adæquatur & concluditur.*

CAPUT III.

De Interpretatione & Regulis Jurisprudentiæ.

Jurisprudentiam aut mortuam, aut emarcidam esse, nisi prudentiam interpretatione juvetur & animetur, luculenter expressit Iustus Pomponius in l. *necessarium* 2. §. 13. ff. de *O. J.* Jura siquidem non solà tenentur memorià, sed ratione potiùs, tanquam animà, per interpretationem comprehendì debent per l. *scire* 17. ff. de *LL.* ibi: *scire Leges, non est verba earum tenere, sed vim & potestatem.* Eapropter necessarium duximus, ut tractatum nostrum præambulum, in gratiam Juris studiosorum, interpretatione Jurisprudentiæ claudamus; *Regulas Juris*, quæ cum titulo de *Verborum significatione* in fine Corporis Juris ponuntur, tanquam præcognita multum utilia, connectentes.

SECTIO I.

De Interpretatione Jurisprudentiæ.

SUMMARIUM.

1. Describitur interpretatio. 2. & seq. Authentica declaratur. 4. & seq. Exponeitur simplex. 7. Comprehenfiva. 8. Extensiva. 9. Restrictiva. 10. & seq. Interpretatio pro objecto habet verba. 12. Explicatur verbum. 13. & seq. Illius varietas adstruitur. 19. Sensus affirmativus & negativus apponitur. 20. & seq. Verba subinde dispositivè, subinde enuntiativè ponuntur. 22. Significatio propria est multiplex. 23. Naturalis. 24. & seq. Civilis. 26. Usualis. 27. Impropria despalatur.

§. I.

De Interpretatione Juris in genere.

- 1 **I**nterpretatio, quatenus Jureperitis & Jurisprudentiæ deservit, est genuina Legis alicujus explicatio vel declaratio, juxta eam significationem, quam intendit & proposuit Legislator.
- 2 **D**ividitur in Authenticam & Doctrinalem. *Authentica* vel est Legalis vel usualis. *Legalis* dicitur, quæ per expressam Legem Legis anterioris sensus à Legislatore, superiore, vel successore explanatur. *Usualis* appellatur, quæ ex usu & consuetudine seu observantia Legis sententia colligitur.
- 3 **D**octrinalis subdividitur in simplicem & modificatam. *Simplex* vocatur, quæ simpliciter & de plano, ut ajunt, verba, prout jacent, in vera significatione exponuntur.
- 4 **H**anc alii *liberalem* aut *verbalem* appellant, ac cum Legi nihil de novo superaddat, à natura genuina interpretationis paululum declinare volunt cum Fagnano in *cap. quoniam de Constitution. num. 19.* At eam solam de legitima & stricta interpretatione participare, cum Bartolo adstruit Suarez de *LL. lib. 6. cap. 2. n. 1.* *Modificata* vel est comprehensiva, vel extensiva, vel restrictiva. *Comprehenfiva* est, quæ id omne, quod vocabuli proprietate comprehenditur, intelligitur, licet explicitè non fuerit positum. *Extensiva* est, quæ à dispositio, quoad terminos angusta, ad objecta vel subiecta nova, personas, aut res, extenditur. *Restrictiva* est, quæ locutio, cæteroque generalis, ad objecta vel subiecta pauciora, personas, aut res cordata tur. Videatur cæterus Suarez *cap. 2. & seq.*

§. II.

De Verbis.

- 10 **I**nterpretatio non habet objectum immediatum, quam verba. Cum enim intentio, mens, & cogitatio hominis, velut intratebras & penetralia cordis inclusa, non alià clave, quam verbò, securè referretur: utique non aliud objectum habebit interpretatio Legis, quam verba, à Legislatore in promulgatione Legis adhibita. Et licet inter-
- dum non spectentur verba sed mens & intentio Legis: attamen ipsa mens & intentio non potest considerari nisi ex verbis Legislatoris, juxta illud D. Hilarii in *cap. intelligentia* 6. de *Verb. signif. intelligentia dicitur ex causis esse assumenda: quia non sermone res, sed rei est sermo subiectus.* Suarez de *LL. cit. lib. 6. cap. 1. num. 14.*

- 12 Per verbum autem non intelligimus cum Grammaticis aut Dialecticis id, quod per modos, personas, & tempora distinguimus, vel quod est pars orationis, sed quamlibet dictionem significativam, nempe pronomen, nomen, adverbium &c. Vallenf. ad tit. de V. S. num. 1.
- 13 Verbum sic intellectum aliud dicitur singulare, aliud particulare, aliud indefinitum, aliud generale, aliud universale. *Singulare* est, quod denotat personam individualem, vel rem aliam certam & determinatam, quam Juristæ speciem nominant, cujusmodi sunt Titius, Sempronius, fundus Cornelianus, hic equus &c. *Particulare* est, quod indicat unam vel plures personas aut res alias indeterminatas, ac jurisperitis subinde pro genere deservit, v. g. quidam, aliquis, aut alii qui, annulus, homo, fundus &c. *Indefinitum* est idem ac verbum commune vel etiam particulare, cui nimirum nec particulare nec universale signum est appositum, ut homo, equus, fundus, ager &c. *Generale* est nomen commune, continens sub se personas aut res plures, ac signò quoddam universali affectum v. g. omnes studiosi, omnes cives, omnes Clerici, omnes Ecclesiæ &c.

Quoddam genus subalternum sit, ac genus aut genera plura contineat, verbum generale potest appellari universale v. g. omnia bona, omnia animalia &c. Quamquam ab Autho-18 ribus verbum universale & generale ut plurimum promiscue capiantur. Vid. Clariff. P. Wiefner ad tit. de Verbor. significat. n. 4.

Porrò cum verba plura conjunguntur, faciunt orationem, & subinde completum sensum, vel affirmativum, quò aliquid de altero affirmatur, & prædicatum subiecto conjungitur; vel negativum, quò aliquid de altero negatur, & prædicatum à subiecto removetur.

Rursus verba quædam in oratione vel præpositione ponuntur dispositivè; quædam enuntiativè. *Dispositivè* ponuntur, quæ referunt actum aut rem principaliter gestam, circa quem vel quam scilicet dispositio in Legge vel constitutione est facta. *Enuntiativè* seu *narrativè* ponuntur, quæ ad rem aut actum principaliter gestum de necessitate non spectant, sed tantum incidenter ac quasi per accidens referuntur. Qua de re fermo redibit in tr. 1. cap. penult. de Rescript.

§. III.

De Verborum Significatione.

- 22 Verba sunt interpretanda secundum significationem, quam continent. Significatio vel est propria vel impropria. *Propria* est multiplex, naturalis, civilis, usualis. *Naturalis* est, quam habet verbum ex natura sua, non quòd ipsa natura verbum invenerit, sed quòd primæva hominum institutio vel institutio verbum ad significandum rem, prout naturaliter est in se, assumpsit. Suarez de LL. d. 1. cap. 1. n. 9. Hanc ex definitione vel etymologia dignosci, docent Bartolus & Alciatus apud P. Wiefner ad tit. de V. S. num. 6.
- 24 Civilis seu *juridica* est, quam habet verbum in fitione vel acceptione Juris. Sic enim mors ex primæva significatione denotat mortem naturalem; ac in significatione juridica denotat tam mortem moralem, quæ repræsentatur in professione religiosa cap. placuit 8. XLI. q. 1. quam mortem civilem, quæ in-

ducitur per amissionem statûs libertatis ac civitatis arg. l. capitalibus 28. in pr. ff. de Penis. Similiter *ly perpetuum* ex natura sua duratio 25 nem sine fine & termino denotat; ac in consideratione Juris Civilis perpetua dicitur actio, quæ 30. duntaxat annis perdurat pr. Inst. de perpet. & temporal. action.

Usualis est, quam verbum ex usu & longæva consuetudine recepit; prout apparet in verbo *tyrannus*, quod ex se Principem & Monarcham absolutum significat, hodie tamen non alium Principem, ac qui suò dominatu & desposi in depressionem subditorum abucitur, designat.

Impropria seu *abusiva* significatio dicitur, quæ 27 verbum in alium planè sensum, quam nativum & genuinum, aut civilem, detorquetur, veluti dum homines liberi, in nostro famulitio existentes, vocantur servi; nati ex fratre vel sorore appellantur nepotes.

SECTIO II.

De Interpretatione in specie.

SUMMARIUM.

28. Interpretatio authentica fit à solo Legislatore. 29. & seqq. Successore, vel Superiore &c. 33. & seqq. Usualis duplici modo instituitur. 36. Interpretatio doctrinalis quandoque æquivalens authentica. 37. Aliis habet suos gradus. 38. & seqq. In hac, si simplex sit, mens & ratio Legis præcipuis est inspicienda. 43. & seqq. Verba sunt accipienda cum effectu. 47. & seqq. Re-

gulariter intelligi debent in propria significatione. 50. & seqq. Significatio naturalis est potior civili. 53. Nisi materia non sit odiosa. 54. Verba sunt explicanda secundum communem loquendi modum. 55. & seqq. Superfluitas verborum cavenda. 58. Antecedentia cum consequentibus comparanda. 59. & seqq. Interpretatio comprehensiva usurpatur, quando termini sunt

sunt generales, aut universales. 62. & seqq. Aut indefinitè positi. 64. & seqq. Afferuntur limitationes. 67. & seqq. Ex identitate rationis licet extendere Legem, non autem ex po-

ritate. 78. Regula de interpretatione restrictiva. 79. & seqq. Illius declaratio & ampliatio. 82. & seqq. Explicatur cap. odia 15. de R. J. in 6. 87. & seqq. Agitur de epistola.

§. I.

De Interpretatione Authentica.

- 28 Veniamus nunc ad species Interpretationis. Harum primaria seu *authentica* Legalis, de qua in num. 2. non pertinet ad Jurisprudentes, sed Juris parentes seu Legislatores: nam, ut loquitur Justinianus in l. ult. §. 1. Cod. de LL. si Leges condere sibi Imperatori concessum est, etiam Leges interpretari solo dignum Imperiò esse oportet; nempe ut juxta monitum Innoc. III. in cap. inter alia 31. de Sens. ecclesiastic. unde Fus prodiit, interpretatio quoque procedat.
- 29 Non tamen Legislatore soli, qui Legem tulit, potestas competit, authenticè Legem interpretandi, sed etiam Successori in officio vel Superiori, vel cui Legislator specialiter indulget facultatem interpretandi, veluti Cardinalibus data est licentia Concilium Trident. interpretandi. Textus in d. cap. inter alia 31.
- 30 Quantumvis enim Successor vel Superior omnimodà semper certitudine nequeat attingere mentem & scopum Legislatoris, antecessoris aut inferioris, sed tantum per conjecturas illam debeat assequi: potest nihilominus ex eadem vel majori potestate Legislativà determinare, in quo sensu Lex deinceps capienda vel observanda sit. Suarez de LL. cit. lib. 6. cap. 1. n. 3.
- 31 Hinc, ut notat idem Suarez num. 3. frequenter accidit, ut authentica & legalis interpretatio non sit nuda declaratio Legis præexistentis, sed juncta cum aliqua mutatione, diminutione, vel additione: quia scilicet ex arbitrio Legislatoris interpretis pendet, quæ verborum amplitudine vel angustia priorem Legem declarare velit. Quan-

quàm interdum ejusmodi mutatio in reverentiam anterioris Legislatoris dissimuletur, & sub nomine interpretationis simplicis divulgetur, ut videre licet in cap. inharcentes 1. de Juram. Calumn.

Quoad interpretationem authenticam 33 usualem distinguunt prælaudatus Suarez de LL. lib. 7. cap. 17. n. 2. inter usum seu consuetudinem, utrum allegetur tanquam indicium aut testis de mente & intentione Legislatoris; vel utrum consideretur tanquam causa concurrens, & suppositis requisitis, sufficiens non tantum ad declarationem sed etiam introductionem novæ Legis. Priore casu non 34 facit interpretationem authenticam & infallibilem, sed conjecturam duntaxat & præsumptionem, pro ratione & diuturnitate temporis majorem vel minorem, operatur, Legem in eo sensu à Legislatore fuisse sancitam, in quo hætenus observata fuit arg. cap. omnes 1. Dist. 1. ibi: Leges humanam moribus constant; & arg. cap. erit 2. Dist. 4. ibi: erit autem Lex secundum patriam consuetudinem; & arg. l. si de interpretatione 37. ff. de LL. ibi: si de interpretatione Legis queritur, imprimis inspicendum est, quò jure Civitas retrò in ejusmodi casibus usa fuisse: optima enim Legum interpretis est consuetudo. Posteriore casu 35 consuetudo non minis vim authenticam habet interpretandi quam introducendi novam Legem per textum in cap. cum dilectus 8. de Consuet. & l. nam Imperator 38. ff. de LL. ibi: in ambiguitatibus, quæ ex Legibus proficiuntur, consuetudinem aut rerum perpetuè similiter iudicatarum auctoritatem vim Legis obtinere.

§. II.

De Interpretatione Doctrinali Simplicis.

- 36 Interpretatio doctrinalis interdum æquivalens authentica, quando nimirum constans & concors est DD. sententia, Legem hæc vel illò modò intelligendam & observandam esse. Suarez de LL. lib. 6. cap. 1. num. 6. tanta enim verò sententiarum constantia & concordia facit moralem certitudinem, contra quam in aliud placitum inclinare velle, nota temeritatis est. At ubi non omnes Authores in unam conspirant sententiam, sed unus hoc, alius aliò modò Legem interpretatur, interpretatio doctrinalis suos complectitur gradus, tantòque potior & probabilior est, quantò potioribus rationibus & adminiculis roboratur. Suarez cit. l.
- 38 In hac porro interpretatione, si literalis & simplex sit, advertendum I. mentem & finem Legislatoris præcipuè spectandum esse. Textus in cap. intelligentia 6. & cap. in his 15. de V. S. P. SCHMIEER JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

l. hominis 6. §. 1. ff. eod. l. non aliter 69. in pr. ff. de Legat. 3. l. non dubium 5. in pr. Cod. de LL. Et ratio est: quia mens & voluntas Legislatoris est substantia & vita Legis; nec aliter spectari debent verba, nisi quatenus sunt indicium & index mentis & voluntatis: consequenter, ut verba Legis exactè calleamus, mentem Legislatoris inspicimus, oportet. Deprehenditur autem mens Legislatoris vel ex ipso verborum tenore, vel ex consequentibus, vel circumstantiis temporum, personarum, & locis &c. Suarez d. l. num. 16. Et ab hac mente nec latum unquam discedere concessum est, tamen Lex non nihil difficilis aut dura videatur arg. l. propositus 12. §. 1. ff. Qui & quid. manumissi &c. ibi: quod quidem perquam durum est, sed ita Lex scripta est. Eoque 42 sensu verificatur tum l. non omnium 20. ff. de LL. ubi dicitur, non omnium, quæ à Majoribus D nostris

nostris constituta sunt, rationem reddi posse; tum l. & idem 21. ff. eod. ubi asseritur, rationes eorum, quæ constituta sunt, inquiri non oportere; aliquando multi ex his, quæ certa sunt, subvertenda. Intelliguntur enim hujusmodi dicta & asserta de casu, quod versantur in materia, Legislatoris arbitrio subiecta, ubi, si certi sumus de voluntate, subintrat illud vulgatum: stat pro ratione voluntas. Clariss. D. de Wolleren in *Quæst. Oenipont. q. 12. a. n. 14.*

43 Advertendum II. Verba simpliciter prolata in materia tam favorabili quam odiosa simpliciter, & cum effectu intelligi debere. Colligitur ex *cit. cap. in his 15. de V. S. l. hoc legatum 45. ff. de Legat. 3. l. stipulatio 1. §. 3. ff. de V. O.*

44 Ratio est: quia Legislator cæteroquin imperfectam dispositionem fecisse dicendus foret, si verba tantum in sensu imperfecto suo secundum quod acciperentur.

45 Ideoque dum Jura Canonica in *l. 1. De Clericis in Ecclesia resident.* Clericis beneficiis præcipiunt, ut resident in loco beneficii, non intelligitur residentia tantum materialis, sed magis residentia formalis seu ministerium & exercitium illarum functionum, quæ Clericis beneficiis incumbunt *cap. quia nonnulli 3. cap. relatum 4. d. 1.*

46 Advertendum III. Verba in significatione propria esse sumenda per *l. non aliter 69. in pr. ff. de Legat. 3. cap. inter corporalia 2. de Translat. Ep. cap. ad advancementem 12. de Decim.* Siquidem de Legislatoris merito præsumendum est, quod, ut ritè à nobis intelligatur, inter animi sensa per verba propriè significata manifestare voluerit.

47 Excipitur tamen unus aut alter casus, veluti quando propria verborum significatio quidpiam absurdum infert, correctionem Jurium inducit, iniquitatem continet, aut tertio præjudicium causat: tunc enim factus est, impropiare verba, quam correctionem, absurdum, iniquitatem, aut tertii præjudicium adtribuere.

48 Textus in *cap. denique 10. X. P. q. 5. cap. super eo 15. de Offic. Jud. deleg. cap. dilectos 6. §. ceterum de Fide injurum. cap. in Genesi 55. de Elect. cap. cum expediat 29. eod. in 6. cap. cum inter 5. de Except. cap. majoribus 8. de Præben. & dignitat. cap. injuratum 4. de Res. permutat. l. nec avus 4. Cod. de Emancipat. lib.*

49 Advertendum IV. Significationem natu-

ralem esse potiore civilis, nisi ex subjecta materia civilis naturali præponenda videatur per textum in *l. fideicommissum 76. ff. de Condit. & demonstrat. ubi dispositio, de liberis facta, solum liberos, per naturam tales, includit, exclusis adoptivis; l. statim 48. §. 1. ff. de Nat. ubi locutio de morte non aliam quam naturalem indicat; l. ult. Cod. de his, qui ven. atar. ubi perfecta ætas dicitur, quæ computatur ex naturali annorum 25. consistentia, non ex venia ætatis, à Principe concessa. Natura siquidem & veritas est potentior quam Ars & fictio. P. Wiestner ad *tit. de V. S. n. 14.* In materia tamen non odiosa significationem tam naturalem quam civilem simul intelligi posse, præcipue si civilis cum naturali de Jure sit exæquata, in *l. si in 15. in pr. ff. de Usurpat. & usucap. innuitur, & traditur à P. Suarez de LL. lib. 6. cap. 2. n. 5. & 6.**

Advertendum V. significationis usualis usum non rarum esse: nam in eo sensu, quod communiter loqui solemus in aliqua provincia, regione, vel regno, verba præsumuntur fuisse prolata per textum in *cap. ex parte 18. de Censib. cap. ex literis 7. de Sponsal. cap. si quem 58. de Sentent. excommunicat. l. librorum 52. §. 2. ff. de Legat. 3. l. cum de Ianiano 18. §. 3. in ff. de Fundo instructo leg.*

Advertendum VI. Superfluitatem in verbis esse fugiendam, adeo ut otiosè non ponantur, sed aliquid operentur *arg. cap. hoc autem verba 17. de Pœnit. dist. 1. cap. si papa 10. de Privileg. in 6. l. cum filiusfamilias 50. ff. de Legat. 3. Superfluitatem enim abhorret Ars & Natura. Subinde tamen solius declarationis aut majoris energie gratiæ geminantur aut multiplicantur verba *arg. cap. si adversus 11. de Hæretic. Leges quoque de eadem materia quandoque repetuntur, non ut novi quid statuatur, sed, quod antea statutum erat, confirmetur aut declaratur.**

Advertendum VII. In explicatione verborum ambiguum ad antecedentia & consequentia reflectendum, & unum ex altero declarandum esse *arg. l. si servus 50. §. ult. in ff. de Legat. 1. Quamobrem Celsus J. C. ut in l. incivile 24. ff. de LL. incivile est, inquit, nisi tota Lege perspecta, unà aliqua particula ejusdem proposita, judicare vel responderi. P. Wiestner ad *tit. de V. S. n. 43.**

§. III.

De Interpretatione comprehensiva & extensiva.

Interpretatio comprehensiva (quam alii vocant extensivam, improprie talem) locum præcipue tenet, quando reperiuntur verba universalia, generalia, vel indefinita. Nam si verba generalia, & multò magis si universalia sint, applicatur regula, quod universaliter & generaliter sint accipienda per textum in *cap. sunt nonnulli 14. l. q. 1. cap. ex parte 27. de Decimis. Clem. quamvis 1. de Foro compet. l. omnia 1. in pr. ff. de Off. pref. urbi. l. ea vero 3. §. 1. ff. pro Socio l. quod autem 6. §. 10. ff. Qua in fraudem creditor. l. omnino 30. in pr. Cod. de Inoff. testam.* Etenim qui omne dicit, nihil excipere censetur *cap. si Romanorum 1. §. dicendo vero & c. Dist. 19. l. Julianus 68. in pr. ff. de Legat. 3. l. hic titulus 1. §. 1. ff. de Legat. præstaud. contra tab. l. à procuratore 13. Cod. Mandati. Vid. Barbosa in *tract. de Diction. usufruent. dist. 238. & seqq. & Christoph. Phil. Richter in tract. de Adverb. significat. verb. generaliter, & verb. omnimodo.* Similiter quando verba sunt indefinita, dicuntur æquipolere*

lere generalibus, & vim locutionis generalis obtinere *cap. quia circa 22. de Privileg. l. servitus 23. ff. de S. P. U. l. quæritis 2. Cod. si plures unà sent.* Nam, qui nihil excipit, cum excipere potuisset, omne videtur includere *l. omnia 1. §. 4. ff. de Offic. pref. urbi; & ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus l. præses 3. ff. de Offic. Præsid. l. de pretio 8. ff. de Public. in rem. ait.*

63 Limitatur autem hæc generalis assertio I. quando vel in ipsa Lege, vel in alia continetur exceptio, fortè quod in una Lege de re vel persona specialiter negetur, quod in alia generaliter erat positum *arg. l. non est novum 26. & 2. seqq. ff. de LL. tunc enim exceptio subtrahitur generi per cap. Ratuum 22. de Elect. in 6. eademque per speciem derogatur cap. generi 34. de R. J. eod. in 6. Latè Barbosa de axiomat. 5. usufruent. axiom. 107.*

II. quando generalis aut universalis dispositio fundatur in tali ratione, quæ non omnibus, sed aliquibus tantum speciebus, quæ genere comprehensis, applicari potest, quemadmodum edictum Prætoris, *Ne quid in loco sacro adificetur*, fundatur in favore & reverentia, locis sacris debita, sicque tantum pertinet ad ædificia profana & nociva, non autem alia, quæ sunt ornatus aut commoditatis causa *l. Prætor 1. §. 2. ff. Ne quid in loco sacro & c.*

III. quando sub genere quædam omnino insolita continentur, vel etiam specialia, de quibus præsumere licet, quod, cum à Legislatore specialiter non fuerint expressa, in mentem illius non venerint *cap. ult. de Offic. Vic. in 6. cap. qui ad agenda 4. cap. qui generaliter 5. de Præcurat. eod. in 6. cap. in generali 31. de R. J. eod. in 6. Suarez de LL. lib. 6. cap. 5. a. n. 3. Barbosa lib. 19. cap. 11. axiom. 33. P. Wiestner ad *tit. de V. S. n. 31. & 38.**

Jam ad interpretationem extensivam (quam alii vocant præ extensivam) descendendo, mirè variant Authores in illius explicatione, reprobatione, vel admissione. Mihi tamen quàm maximè probatur doctrina Suarezii *cit. lib. cap. 3. a. n. 4.*

Nempe, si de Legis extensione loquamur ad casum, sub verborum significatione neutiquàm comprehensum, videndum erit, num addit par vel eadem ratio casus expressi cum non expresso. Par ratio censetur, quando rationes quidem sunt diversæ, similitudinem tamen & æqualitatem inter se continent, prout v. g. est ratio amicitie, vel pietatis ex una parte; ex altera verò motivum misericordie, vel gratitudinis & c. Eadem ratio judicabitur, quando non tantum est similitudo sed omnimoda convenientia & identitas rationis in pluribus materiis, subiectis, vel casibus, adeo ut motivum v. g. pietatis utrobique æqualiter reluceat. Ubi itaque paritas duntaxat rationis occurrat, interpretatio extensiva locum non invenit: siquidem ratio Legis non

